



Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 14. Loquacium os & lingua, est sagitta vulnerans, quæ & scurrilitate plena, sentiet mala, & more sepulchrorum foetore redundat.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

*Salamandra
similes
malorum
linguae*

esse nocentius. Est enim malorum lingua similis Salamandræ, de qua referunt Philosophi, quod quando pomum ascendit, omnes fructus eius iaculo suo pūgat, atq; inficiat. Ita Vincentius lib. tertio specul. moral. distinct. 3. parte prima fol. 146. Quomodo verò morte apud Persas afficiantur, qui silentium non custodiunt, dicemus capite vigesimo sexto, numero 4.

CAPVT XIV.

Loquacium os & lingua est sagitta vulnerans, que & scurrilitate plena, sentiet mala, & more sepulchrorum fœtore redundat.

*Sagitta
vulnerans*

PRimum est, quòd os illorum sit sagitta vulnerans, de qua Dominus grauissimè apud Ieremiã cap. 9. 8. & cum lamento queritur, cùm ait. *Sagitta vulnerans, lingua eorum, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei in-*

fidias. Nunquid super his non visita-
bo, dicit Dominus? aut in gente hu-
iusmodi non uoliscetur anima mea?
super montes assumam fletum & la-
mentum, &c. Locus dictus sacræ
scripturæ conuenit cum Psalm. 27.
3. Hi sunt de quibus Psalm. 10. 2.
Ecce peccatores intenderunt arcum:
parauerunt sagittas suas in phare-
tra, ut sagittent in obscuro rectos
corde. Et Psalm. 63. vers. 4. Quia
exacuerunt ut gladium linguas suas:
intenderunt arcum rem amaram,
ut sagittent in occultis immacula-
rum. Subito sagittabunt eum, & non
timebunt; firmauerunt sibi sermo-
nem nequam. Talis est Prouerbior.
capit. 7. vers. 5 mulier extranea &
aliena quæ sua verba dulcia facit.
Quæ vers. 10. occurrit vecordi
iuueni ornatu meretricio, ad
decipiendas animas, donec vers.
22. Sagitta transfigat iecur eius.

Quali

Falsus
testis.

Quali & linguæ sagitta vtitur falsus testis, de quo Prou. 25. 18. *Iaculum & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.*

Scurrilitas,
stultiloquiū
turpis
sermo.

Secundū est scurrilitas ipsa linguæ, cui turpitudine & stultiloquiū iungi potest, de quibus vitādis præcipit D. Paulus Eph. 5. 3. *cū inquit Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos: aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Et D. Benedictus cap. 6. suæ regulæ sic scribit: *Scurrilitates verò vel verba otiosa, & risum mouentia, æterna clausura omnibus in locis damnamus: & ad tale eloquiū discipulum aperire os non permittimus.* Hinc & D. Hieronymus, qui scurrilitatē replicat, & cachinnis ora dissoluit, & aliquid profert turpitudinis, non

D. Be-
nedi-
ctus.

otiosi

otiosi sermonis, sed criminosi reus tenetur. D. verò Bernardus lib. 2. de consideratione c. 13. inter seculares nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemie. Interdū tamen si incidant, ferédæ fortassis, referendæ nunquam. Consecrasti os tuum Euangelio, talibus iam aperire illicitum, assuefacere sacrilegium est. Idem. Verbum scurrile quòd facti vrbaniuè nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul ab aure relegandum est. Fœde ad cachinnos mouêris, fœdius moues.

Os nostrum
consecratū
Euangelio.

Factum
vrbani
num
verbū.

Loquax
sentiet
mala.
Samsō

Tertiūm est, quòd sentiet mala. Hinc Prou. 13. 3. *Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Si enim Samson tacuisset, & non reuelasset secretum roboris sui, & problema Dalilæ, Iudic. 16. 17. non fuisset captus, & erutis oculis, vinctusq; catenis, vers. 31. molendino destinatus, &

tandem cum aduersarijs mortuus
Eua idem sensit. Gen. 3.2. vbi cum
diabolo & serpente sermonem ha-
buit. Plura vide capite præcedenti.

Sepul-
chro
fætido
similes

Quartum est, quod illorum os
est simile sepulchro patenti. Vnde
Psalm. 5. 11. *Sepulchrum patens est
guttur eorum. Linguis suis dolosè ag-
bant, iudica illos Deus.* Quem loc.
& D. Paulus adducit, Rom. 3. 14.
Psalmo verò 13.3. venenum lingu-
e eorum addens, inquit. *Sepulchrum
patens est guttur eorum, linguis suis
dolosè agebant, venenum aspidum
labijs eorum. Quorum os maledictio-
ne & amaritudine plenum est.* Quo-
si enim loquaces os habent clausum
foris sunt sepulchra dealbata, sicut
ti de Scribis, & Pharisæis loquens
Christus, Matth. 23. 27. asserit, in-
tus omni spurcitia pleni. Ait enim
*Va vobis scribe & Pharisee hypocri-
ta, quia similes estis sepulchris deal-
batis, quæ à foris parent hominibus*

speciosas

speciosa, intus verò plena sunt ossibus
 mortuorum, & omni spurcitia. Vte-
 nim patentibus sepulchris, intus
 reconditus foetor erumpit, &
 quæ ibi latitant venena, inde spe-
 ctantes inficiunt. Sic cum patet os
 loquacium, omnis illorum quæ in
 anima recondita fuit spurcitia, in-
 de sese prodit. Qua de re vide D.
 Chrysoftomum in Psalmum quin-
 tum, & D. Gregorium Nazianze-
 num in oratione consolatoria, cum
 pater eius ob grandinis taceret ca-
 lamitatem. Rectè ergò quidam ta-
 citurnitate graueolentiam oris sui
 excusarunt. Cuidam enim Euri-
 pidi graueolentiam oris obijcien-
 ti: Multa, inquit, in ore meo com-
 putruerunt. Quo responso signifi-
 cabat, se potuisse continere arcana.
 Solent enim res in occultum lo-
 cum congestæ, facile putrescere.
 Vide Paulum Manutium libro 8.
 Apophthegmatum.

Euri-
 pides.